debeat *DEUS* prædicari; tum ita formandus est terminus, & respectu illius abstracti habeat rationem veri concreti, dicendumq; cum piâ vetustate: *Humanitas CHRISTI est deificata, est verbificata*, non, est *DEUS*, *est verbum*.

72. Cæterùm ad specialiorem & distinctiorem μεθόδου cognitionem facit partim distinctio, partim Maiestatis divinæ, quæ immediatè carni assumtæ communicantur, species.

73. Distinctionem huius κοινωνίας quod attinet, dupliciter accipitur, generatim & speciatim. *Distinctio huius κοινωνίας.*

74. *Generatim* communicatio sumitur pro κτήσει, possessione & inhabitatione idiomatum divinorum: *Speciatim* non pro simplici hac κτήσει, sed pro tali communicatione, à quâ caro insuper denominetur. *1. Sumitur generatim. 2. Speciatim, πόρισμα.*

75. Ex hac distinctione sequitur hoc πόρισμα: *quòd diverso respectu, nempe illo, omnia idiomata divina humanæ naturæ esse communicata; hoc verò tantùm quædam communicata esse verè credamus & statuamus.* *Illo respectu omnia idiomata, hoc non omnia communicata rectè dicuntur.*

76. Nam per κοινωνίαν generatim acceptam, ut rectè dicimus, *Deitatem λόγου esse carnis assumtæ Deitatem*: ita verissimè inferimus; *æternitatem & infirmitatem λόγου, unà cum ipso esse carnis assumtæ æternitatem & infirmitatem*: quia omnia, quæ sunt λόγου, sunt itidem carnis sive humanæ naturæ, nempe quæ intra se habet λόγον, & unà cum ipso omnia τοῦ λόγου idiomata, *Coloss. 2. vers. 9.*

77. Posteriore verò & speciali κοινωνίας modo, omnia divinitatis idiomata humanitati communicata esse, orthodoxè inficiamur: quia ab omnibus non denominatur: ut ita hoc sensu & respectu rectè dicantur *quædam idiomata esse συγκοινωνητὰ, quædam ἀσυγκοινώνητα: non quòd hæc nullo planè modo facta sint carni communia, neq;*